

inmiscet se tripudiantium choreis, alternisque choris canunt omnes, qui in te sunt i. e. omnes hujus urbis incolae. Sensus esset: summo splendore celebrabuntur in hac urbe festorum sollemnia, principes atque magnates populorum, quos supra vates recensuit, choreas saltantium non indignas habebunt, quibus ipsi intersint, omnesque hujus civitatis incolae alternis choris canentes laudes dei efferent. Posteriores, quae pressius adhuc sequitur textum masorethicum, exponerem: *Cantant saltantque omnes qui te inhabitant* i. e. omnes hujus urbis cives festos indefinenter dies celebrabunt, ducendo choreas, chorisque alternis canendo, laetis semper jubilantium vocibus civitas resonabit. Vix est quod moeam, מְעִיָּי derivatum esse ab עִיָּי habitare, in forma מְקַטִּיל.

OBSERV. IX. AD PS. CXIX, 128.

Solum fere locum in universo hoc carmine, qui male descriptus ad nos pervenerit,

rit, et critices ope restitui debeat, esse ver-
 sum 128, confitentur uno ore veteres recen-
 tioresque critici atque interpretes, vel fal-
 tem variis artibus, quibus textus recepti
 sensum magis fluidum reddere studebant,
 restatum eunt. Commodam certe non ad-
 mittunt explicationem verba על-בין-כל -
 על-בין-כל ישראל: five enim alterum כל ex
 auctoritate Chaldaei interpretis pleonastice
 positum esse vel potius emphatice putes,
 illudque vertas: *omnia inquam*, five illud
 ex mente *illustris* MICHAELIS, quem S. V.
 KNAPP hic sequitur, praeceuntibus jam an-
 tiquioribus interpretibus, per ellipsin po-
 situm esse contendas, supplendumque:
omnia praecepta tua de omnibus rebus, vis
 semper aliqua verbis inferri, sensusque
 haud satis expeditus esse videtur. Neque
 tamen propterea audaciori HVBIGANTII
 conjecturae, qui LXX interpretum et Hie-
 ronymi auctoritatem secutus legendum es-
 se censuit: על-בין-כל-פקודיה ישראל
 album calculum adjiciendum esse arbitror,

quoniam gratis id sumit, veteres hos quorum testimonio nititur legisse כל על ante כל, iique potius solum ל posterioris כל omis-
sisse, et כ ejusdem vocis cum priore פקודי
conjunxisse videntur. Neque magis arri-
det VENEMAE sententia, qua פקודיך לי
ישרתי legendum esse statuitur, quoniam
haec quoque, quamvis ingeniosa dici me-
reatur, majorem quam necesse esse arbi-
tror, textui masorethico vim infert. So-
la potius litterarum divisione mutata lectio-
nem genuinam, sensumque verum restitui
posse credo, si legatur:

על-כן כל-פקודיך לי־ישרתי
כל ארח שקר שיאתי

*Propterea omnibus praeceptis tuis utor ad
rectitudinem meam, vel propterea omnia
praecepta tua eo spectant, ut recta via du-
car, ut ad virtutem, veramque felicitatem
gressus mei dirigantur, ideoque semitam fal-
sam, (vitiatorum tramitem aberrantem a le-
gibus tuis) averfor. Favent huic conje-
cturae non veterum solum interpretum*

versiones, quae omnes lectionem פְּקוּדֵיהֶם
 produnt, sed usus etiam vocis יִשְׁרָהּ quae
 I Reg. III, 6. eodem significatu *reditudinis*,
virtutis occurrit, et analogia arabici هُدًى,
 quod centies in Corano eodem sensu exstat.

Sed haec haecenus sufficiant. Plura,
 eaque fortassis graviora magisque perpo-
 lita, alia occasione oblata dabimus.